

DISPUTATIO IV.

DE GRATIA UNIVERSIM.

CAPUT I.

DE GRATIA ET DIVERSIS NATURÆ STATIBUS.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT GRATIA DIVINA?

147. *Nota.* Gratiae notio varie accipitur : 1º. Pro elegantia tum oris, tum sermonis ; sic Prov. 31. v. 30. dicitur : *Fællax gratia et vana est pulchritudo.* Luc. 4. v. 22. *Mirabantur in verbis gratiae,* h. e. suavitatem ac vim verborum. 2º. Pro favore, amore vel benevolentia, qua quis alteri acceptus est ; sic dicuntur *invenisse gratiam* Gen. 39. v. 4. *Joseph coram Domino suo,* et Luc. 1. v. 30. *Maria apud Deum.* 3º. Pro gratitudine et gratiarum actione ; sic 2. Reg. 2. v. 6. David ait : *Ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud,* et ad Coloss. 3. v. 16. *In gratia cantantes in cordibus vestris.* Sed haec acceptiones sunt impropriæ. 4º. Pro dono gratuito, nec persone nec naturæ debito ; ad Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et c. 11. v. 6. *Si gratia, jam non ex operibus :* alioquin gratia jam non est gratia. Et de hac nobis sermo est, sumpta non pro quolibet dono gratuito, etiam ordinis duntaxat naturalis, sed magis proprie pro dono supernaturali. Hinc

148. *Dico I.* Gratia divina est *donum supernaturale absolute indebitum, gratis concessum a Deo creature rationali, pertinens aliquo modo ad vitam æternam.* Ita fere Catholici omnes. Convenit autem haec descriptio gratiae omni, tum internæ, tum externæ, tum aliis quibuscumque : convenit etiam gratiae soli, de qua hic disputamus.

Dicitur *donum* ; quæ vox dilectionis divinæ erga hominem effectum significat.

Supernaturale ; intellige tam philosophice, quam theologicæ tale : ex quo capite excluduntur tum gratiae naturalis ordinis, tum etiam ordinis supernaturalis, que ad Deum tanquam gratiæ et glorie auctorem relationem non dicunt.

Absolute indebitum ; quibus vocibus excluditur quidem omne debitum

naturæ et personæ naturaliter agentis; non tamen debitum naturæ ut elevatæ et personæ ex et cum gratia agentiis: cuiusmodi debitum homo ex operibus in gratia factis habet ad gratiam aliam et visionem beatificam, quæ secundum S. Aug. gratia ex gratia vel pro gratia vocantur. Dicuntur tamen et hæc dona absolute indebita, quia in his deveniendum est ad aliquam gratiam primam, quæ sit prorsus indebita.

Gratis concessum; quæ particula amovet etiam debitum ex parte dantis, cum Deus nulla lege absolute teneatur et obligetur ad gratiam conferendam; sicut priores removerunt debitum ex parte recipientis.

A Deo; ut indicetur causa principalis efficiens talis doni, de qua Ps. 83: v. 12. dicitur: *Gratiā et gloriā dabit Dominus.*

Creatura rationali; angelo scilicet et homini, qui sunt subjectum gratiæ capax.

Pertinens aliquo modo ad vitam æternam; causa enim finalis gratiæ hic assignata non est finis tantum ultimus seu *vita æterna*, sed et intermedius et proximus, nempe *opus salutare*, meritum de congruo aut de condigno, *justificatio*, *augmentum gratiæ* etc., quæ de se et ex natura sua disponunt ad felicitatem supernaturalem.

149. *Observa.* Sicut a causa efficiente sive Deo gratiam appellavimus *divinam*, ita plures a causa ejus meritoria illam vocant gratiam *Christi*, eamque distinguunt a gratia angelis et homini in statu innocentiae atque ipsi Redemptori nostro data; unde et illam definiunt esse donum *homini lapsi ex meritis Christi concessum*. Verum hoc ex sententia dependet, quam quis de motivo Incarnationis tenet.

150. *Dico II.* Gratia *ratione finis* dividitur in gratis datam et gratum facientem. *Gratis data* est donum supernaturale indebitum non in propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primario ordinatum; sic autem dicitur vel per antonomasiam, cum de ea Christus diserte enuntiet Matth. 10. v. 8. *Gratis accepisti, gratis date:* vel per usurpationem generis pro specie ignobiliori; nam gratia gratis data ignobilior a S. Th. 1. 2. q. 3. a. 3. dicitur, quia ex se hominem Deo immediate non conjungit, nec gratum reddit. *Gratum faciens* est donum simile ad propriam recipientis salutem per se et primario ordinatum; per hanc enim homo efficitur Deo acceptus vel dispositus vel formaliter.

Species *gratiæ gratis datae* novem, juxta communem Theologorum, recentur a S. Paulo 1. ad Cor. 12. his verbis: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ;* *alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum;* *alteri fides in eodem Spiritu;* *alii gratia sanitatum in uno Spiritu;* *alii operatio virtutum,* *alii prophetia,* *alii discretio spirituum,* *alii genera linguarum,* *alii interpretatio sermonum.* Ubi tres priores referuntur ad plenam rerum divinarum cognitionem: quatuor sequentes ad confirmandam doctrinam: due postremæ ad instructionem et doctrine expositionem; in quibus ternis habentur dotes et officia eorum, quibus gratia gratis data collata est, ut aliorum saluti docendo et persuadendo consulant.

Est autem *Sermo sapientiæ* specialis notitia et facultas ex altissimis fidei principiis eliciendi conclusiones.

Sermo scientiæ est specialis notitia et facultas mysteria fidei declarandi per adjumenta rerum humanarum et exempla.

Fides hic vel sumitur pro intelligentia insigni rerum divinarum, et tunc ordine priora dona praecedit: vel pro constanti fiducia in Deum, ad quidvis impetrandum et miracula patrandum, quæ vel supponit vel includit fidem Theologicam.

Gratia sanitatum est virtus curandi corpora, modo facultatem naturæ superante.

Operatio virtutum est facultas operandi alia miracula in fidei confirmationem.

Prophetia est gratia cognoscendi et praedicandi, quæ sunt a cognitione hominum remota.

Discretio spirituum est donum scrutandi corda, et distinguendi inter ea, quæ a Dei Spiritu aut a dæmone in via salutis aguntur.

Gratia linguarum est peritia multiplicis idiomatici cum facultate expedita proferendi verba.

Interpretatio sermonum est gratia intelligendi abstrusos verbi divini sensus, eosque secundum Dei revelantis mentem aliis declarandi.

151. *Dico III.* Gratia, nempe gratum faciens, ratione modi existendi dividitur 1º. in increatam et creatam. *Increata* non dicitur tantum illa, quæ ex parte principii sumitur, uti est amor Dei erga homines æternus: sed quæ etiam ex parte subjecti attenditur et donum est, sed increatum, quemadmodum *missio Verbi* in carne, et *Spiritus sancti*, a Scriptura et Patribus vocatur. *Creata* est donum a Deo distinctum a creatum.

2º. In externam et internam. *Externa* extrinsecus hominem afficit, uti est *predicatio Evangelii*, *institutio Sacramentorum*; item *incarnatio*, *passio*, *exemplum Christi* etc. *Interna* in ipsa anima recipitur, qualis *gratia sanctificans*, *habitus infusi*, *illustrationes Spiritus sancti* etc.

3º. In gratiam intellectus et gratiam voluntatis. *Gratia intellectus* est interna mentis illustratio divinitus proponens intellectui vel verum supernaturale credendum, vel bonum supernaturale agendum. *Gratia voluntatis* est facta divinitus immediata motio, inclinatio, excitatio aut provocatio voluntatis ad aliquid supernaturale.

4º. In actualem et habitualem. *Actualis* est, quæ per modum actus seu motionis transeuntis conceditur. *Habitualis*, quæ confertur per modum habitus, seu qualitatis fixæ et permanentis. Hæc subdividitur in gratiam sanctificantem vel justificantem, virtutes infusas et dona *Spiritus sancti*. *Sanctificans* dicitur illa gratia, qua homo fit justus formaliter: *Virtus infusa* est quæ nature viribus acquiri nequit, sed a solo Deo infunditur, estque vel theologica vel moralis: *Donum Spiritus sancti* vocatur habitus supernaturalis, quo quis proprio disponit, ut a S. Spiritu ad actionem quamdam præstantissimam sibi utilem eliciendam moveatur.

Septem numerantur hujusmodi, quorum tria, scilicet *donum sapientiæ*, *intellectus* et *scientiæ* ad facultatem intelligendi; quatuor alia, nempe *donum consilii*, *pietatis*, *fortitudinis* et *timoris* ad voluntatem spectant.

152. *Dico IV.* Gratia, videlicet actualis, *ratione diversi respectus ad librum consensum*, dividitur

1º. In gratiam excitantem et adjuvantem, quarum mentionem facit TRID. Sess. 6. c. 6. et AUG. L. 2. de pecc. mer. c. 18. n. 31. Item in gratiam operantem et cooperantem, quarum ex Apostolo meminit AUG. L. de gr. et lib. arb. c. 17. n. 23. Denique in gratiam praevenientem, comitantem et subsequentem, quas notat TRID. Sess. 6. c. 16. *Gratia excita*s, *operans* et *praeveniens* consistit tum in illustratione intellectus, tum in voluntatis motione, quas Deus in nobis, physicè quidem, non tamen moraliter et libere agentibus, atque hinc sine nobis excitat, ut bene velimus et bene agamus. *Adjuvans*, *cooperans* et *comitans* consistit in auxilio supernaturali, quo Deus nobiscum libere agentibus ad omnes et singulos actus supernaturales liberos concurrit et influit. Huc etiam ab aliis reducitur *gratia subsequens*; ab aliis autem constituitur in auxilio divino, quo ad opus exterritum perficiendum, et in bono proposito perseverandum indigemus.

2º. In gratiam sufficientem et efficacem. *Sufficiens* pure talis et ut efficaci oposita, est illa, quæ dat quidem posse operari, sed non ipsum operari, ex defectu nempe voluntatis illam habentis, non autem ex ipsis auxiliis defectu. *Efficax* est, quæ dat posse simul et operari, suumque effectum semper certo et infallibiliter assequitur. Hinc vero subdividitur in efficacem ex se et ab intrinseco, et in efficacem ab extrinseco; quod si in circumstantiarum congruitate stet, gratia vocatur congrua: si in prævisione divina, efficax ab eventu dicitur.

ARTICULUS II.

QUID ET QUOTUPLEX SIT NATURÆ HUMANÆ STATUS?

153. *Nota.* Nomine *status* in Jure Civili significatur personæ conditio, prout est sui vel alterius juris: in Jure Canonico ratio vivendi cum certa quadam obligatione vel immobilitate: in Theologia morali vel idem significatur, vel modus existendi in peccato vel gratia: in Theologia Scholastica vocatur a Scoto *stabilis permanentia legibus divine Sapientiae firmata*. Nomine *naturæ humanæ* intelligitur genus humanum secundum suam essentiam et facultates naturales. Per *essentiam* denotantur tum partes metaphysicæ, tum physicæ; per *facultates naturales*, naturaliter debitæ et competentes potentiae, tum interne tum externæ, spirituales item et materiales.

154. *Dico.* Status *naturæ* est certa conditio totius generis humani, seu modus se habendi in ordine ad finem ultimum secundum divinæ Providentiae legem. Hinc 1º. extrinseco connotat legem et ordinationem Dei ad finem ultimum: 2º. intrinsece importat vel accidentia et dispositiones, quibus homo ad eum finem consequendum juvatur; vel saltem circumstantias, quibus ab illius assecutione impeditur. Multiplex discernitur: videlicet

Status naturæ puræ, preter extrinsecum connotatum status *naturæ universim* descriptæ, dicit duplē parentiam: *primam* peccati; quia homo in puris naturalibus creatus consideratur sine peccato: *secundam* gratiæ et donorum supernaturalium, atque etiam gratuitarum perfectionum; unde ejusmodi homo foret subjectus naturæ humanæ infirmitatibus, quibus nunc

subjaceamus; neque ordinaretur ad visionem Dei intuitivam et supernaturalem, sed solum abstractivam et naturalem.

Status naturæ integræ nihil differt a priori, nisi quod specialem perfectiōnem sive naturalem sive supernaturalem, sive ab intrinseco sive ab extrinseco habeat, que in perfecta subjectione appetitus sensitivi ad rationem consistit, ita ut pars inferior contra superiorem moveri, aut rationem prævenire non permittatur. Quamvis enim *donum integratitatis* sæpius magis diffusum et uberiorum sumatur, in assignata tamen perfectione præcise consistit, quatenus *natura pura* integra opponitur.

Status naturæ elevatae in eo superat naturam puram, quod dicat ordinationem ad beatitudinem supernaturalem; et consequenter gratias ac dona supernaturalia connotat, quæ ad eam disponunt aut requiruntur.

Status naturæ innocentis, seu originalis justitiae, preter donum integratitatis et elevationis includit duo alia; *primum*, gratiam sanctificantem cum virtutibus infusionis: *secundum*, immunitatem a morte, morbis reliquisque vitæ humanæ infirmitatibus ac miseriis per auxilium supernaturale vel naturale.

Status naturæ lapsæ, prout præcise opponitur statibus *naturæ puræ*, *integræ* et *elevatae*, importat naturam obnoxiam peccato et peccati poenis: prout autem opponitur *justitiae originali*, et inductus est per peccatum Adami, dicit hominem reum culpe, privatum gratia, subiectum rebellioni concupiscentiæ, morti, ceterisque vitæ hujus miseriis, tanquam statutis peccato poenis. His accedunt etiam habitus vitiosi ex frequentatione peccatorum vel propria vel aliena progenitorum contracti, aliaque, ex quibus difficultas opera honesta exercendi oritur.

Status naturæ reparatæ, nempe *per Christum*, est, in quo per merita Christi liberamur a noxa peccati originalis ceterisque actualibus, restituimur gratiæ sanctificanti, et primævo illi juri ad æternam felicitatem; sic tamen, ut non omnia per peccatum Adami inflicta vulnera sanentur, sed omnes fere penitentias in nobis remaneant ad exercitium virtutis.

155. *Observa.* Status tres *priores* nec unquam extiterunt, nec nunc existunt; tres *postiores* autem vel extiterunt, vel existunt. Fuit enim Adamus in statu *justitiae originalis*: in statu *naturæ lapsæ* nascentur omnes Adami posteri, et manent ante baptismum: demum in statu *naturæ reparatæ* sunt omnes homines per Christi merita redempti. Quæ quamvis apud Catholicos certa sint, disputatur tamen de statu *justitiae originalis* cum *haereticis*: cum iisdem est controversia de possibiliitate status *naturæ puræ*: denique nec *Catholici* quidem consentiunt circa quæstionem: utrum *natura lapsa* debili sit, quam fuisse *natura pura*.

ARTICULUS III.

AN ADAMUS IN STATU JUSTITIE ORIGINALIS FUERIT CONDITUS?

156. *Nota.* *Pelagius*, apud S. AUG. L. 2. de grat. Christi et de pecc. orig. c. 13. sic ait: *Infantes, qui nascentur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem*; quibus verbis non tantum negavit peccatum originale, qui capitalis illius error est, sed negavit Adamo gratiam, eumque